



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium
salutis æternæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

hoc est, supra rationes aliunde habitas, dicit de hac fide loqui Paulum verbis illis: *accedentem ad Deum oportet credere*, &c. Notitia autem Dei ex creaturis non est supra rationales methodos, sed ex ipsa naturali ratione deducta, ut constat: unde licet sit actus supernaturalis, innititur tamen ratione naturali, & ideo nomine fidei intelligi non potuit à Paulo. Alij etiam Patres similiter semper distinguunt fidem ab ea notitia, quæ discitur, vel ratione humana nititur, eo quod fides sola diuina auctoritate mouetur. Sic loquitur Chrysostom. homil. 32. in Ioannem: *Fide*, inquit, *nobis opus est dilectissimi*, (esse loquitur de fide, quæ necessaria est) *fide inquam, bonorum matre, salutis medicina*. Cui fidei postea opponit notitiam ex rationibus comparatam. *Qui suis*, inquit, *nitiuntur rationibus, ante cognitam veritatem naufragium faciunt*, eodem modo loquitur Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 41. his verbis: *quid agit, aut quò, vel quâ, ut ad beatitudinem perueniatur, humana se porrigit infelicitas* (loquitur de discursibus Philosophorum) *si diuina non ducit auctoritas*. Quamuis autem ponatur cognitio illa supernaturalis, tota tamen innititur rationi humanæ desumptæ ex creaturis, nec transcendit ex parte obiecti, aut motiui argumenta Philosophica, cum nullo modo nitatur auctoritate diuina, nec ad eos assensus diuina ducat auctoritas, sed naturalis ratio, & humani discursus argumenta, quæ apud Concilia & Patres distinguuntur à fide, sine qua tamen nulli vnquam coniungit gratia iustificationis, ut dixit Tridentinum sess. 6. cap. 7. Hæc de prima parte nostræ assertionis: nunc transeamus ad alteram de fidei necessitate ad opera alia meritoria in ordine ad salutem æternam.

SECTIO II.

Sine fide fundata in reuelatione Dei non fieri vllum opus meritorium salutis æternæ.

13

Dixi, minus durum esse concedere actus bonos supernaturales ante fidem propriam ortos ex cognitione supernaturali Dei ex creaturis, vel honestatis moralis tamen absolutæ, & cum illa vniuersalitate falsum apud me esse. Scio enim, aliquos graues doctores ponere de facto ante fidem actus bonos naturales ortos ex cogitatione congrua naturali, quæ tamen sit gratia per Christum, qui actus naturales disponant, ut merita congrua ad percipiendam fidem, & remore ad iustificationem. Facilius autem id defendi potest ponendo eiusmodi actus bonos morales supernaturales in substantia, & ortos ex cogitatione supernaturali, prout proponuntur à Ripalda, qui quoad hoc magis Theologicè, & consequenter videtur mihi loqui. Et quidem P. Vasquez 1. 2. disp. 189. num. 136. & disp. 190. num. 132. planè concedit, ante fidem dari in infidelibus actus bonos naturales, qui mereantur de congruo, & disponant, ad obtinendum donum fidei: quam sententiam ex parte tuerit Luisius Turrianus de gratia opusculo 2. disp. 4. dubio 26. & 27. vbi admittit illa opera fieri ex gratia per Christum, negat tamen esse merita congrua respectu fidei. Vtrumque verò concedit Coninch.

in tract. de fide, spe, & charitate disputat. 24. dub. 6.

Contraria sententia communis est omnium fere Theologorum, qui docent, ante fidem nullum dari meritum ipsius fidei, & in hoc sensu nullum esse initium, & fundamentum nostræ iustificationis. Videatur Suarez lib. 1. de gratia, cap. 17. & lib. 1. de predestinatione, cap. 16. num. 24. & videtur esse omnino de mente Augustini, qui semper reducit primam de gratiam in illud auxilium, quod datur ad credendum; quod quia non datur ex meritis, ideo dicit primam gratiam non esse ex meritis. Ita loquitur libro de gratia, & libero arbitrio c. 7. vbi ait, ideo Apostolum docere, iustificari hominem ex fide, non autem ex operibus, non ex opera excludat, sed quia opera iustitia sunt ex fide, non ex operibus fidei, ac per hoc ad illa sunt opera iustitia, à quo est fides. Et de predestinatione Sanctorum, cap. 7. ideo, inquit, Apostolus docet iustificari hominem ex fide, non ex operibus, quia ipsa prima datur, unde imperentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur. Et præfatione in psal. 1. hac ratione ait, conciliari sententiâ Pauli, & Iacobi, quorum Paulus dicit, iustificari hominem per fidem, non ex operibus, Iacobus autem dicit iustificari ex operibus, & non ex fide tantum, quia Paulus loquitur de operibus factis ante fidem, Iacobus verò de operibus, quæ consequuntur fidem, unde concludit: debemus ergo nulla opera preponere fidei, ita ut ante fidem dicatur quispiam bene operari, & postea inferat opus illud Abrahæ, cum voluit immolare filium, habuisse fundamentum, & radicem in fide, quia quæcunque illud opus esset præter fidem, nihil illi prodesset. Hoc ipsum repetit lib. 83. questionum, quæst. 76. ep. 106. vbi cum diceret, non exigendam solam gratiam remissionis peccatorum à Relegio, rationem reddit, quia hæc non est omnia sine merito, quando quidem fides illam impetrat, & concludit. Restat igitur, ut ipsam fidem unde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque ullis meritis, sed gratiam Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus; quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita. Probat autem hoc Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 3. ex illo Pauli ad Ephes. 2. gratia salus facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Ex quibus verbis sic concludit: illud ergo, unde incipit omne meritum, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Videatur idem Augustinus quasi. 2. ad Simplicianum in principio, vbi multa habet ad hoc propositum, præsertim, ne aliquis arbitretur, se ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam; & rursus infra, sine præcedente misericordia Dei non posse aliquem credere, ut ex hoc accipiat facultatem bene operandi, & alia similia, quæ ibi videri possunt, & lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 20. ait non esse opus bonum, nisi quod procedit ex fide summi Dei. Videantur alia plura loca apud Suarez lib. 1. de gratia, capite vigesimo, numero, undecimo & duodecimo.

Eodem modo loquuntur ceteri. PP. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 7. super illa verba, quid molesti estis, &c. misericordia, inquit; præstatur fides, quia misericordia tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. S. Gregorius homil. 19. in Ezechielem

Ezechielem super illa verba: *fenestra autem eius & vestibulum, &c.* sic ait: *non virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes.* S. Leo ferm. 6. in quadagesima loquens de potu aquae frigidae, &c. sic ait: *de hoc tamen calice non frustra admonet Dominus, ut nomine ipsius prebeat, quia hac, quae per se sunt vilia, fides efficit pretiosa, & quae ab infidelibus ministrantur etiam si sumptu sint magna, omni tamen iustificatione sunt vacua, & ferm. 7. addit rationem his verbis: quia quod non ex fidei procedit veritate, ad premia aeterna non pervenit; alia est conditio operum caelestium, alia terrenorum: mundana benevolentia in his, quos adiuvat, habet finem: Christiana pietas in suum transit auctorem.* Eodem modo loquitur S. Prosper lib. 1. de vocatione gentium c. 24. initio *Abunde*, inquit, *his testimoniis demonstratum est, fidem, quae iustificatur impius, non nisi ex Dei munere haberi, eamque nullis meritis precedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritum; ut cum ipsa data fuerit non petat ex ipsis iam petitionibus cetera consequantur.* His adde Cyprianum Alex. lib. 4. in Joannem c. 31. Petrum Diaconum cum aliis Patribus orientalibus, lib. de Incarnatione Verbi c. 6. circa finem.

Ad haec testimonia non potest responderi, sermonem ibi esse de merito condigno: quod non potest esse ante fidem, non vero de merito congruo, & imperfecto. Haec enim responsio reiicitur Primo, ex verbis Augustini supra adductis, ubi concedit meritum ante remissionem peccatorum, negat autem meritum ante fidem, & quidem ante remissionem peccatorum non potuit concedere meritum condignum, sed congruum, ergo hoc etiam negat ante fidem. Secundo ex eod. Augustino de praedestinatione Sanctorum cap. 7. ubi probat, *Cornelium habuisse iam fidem ante adventum Petri, quia alioquin eius elemosyna non fuisset accepta, quod etiam argumentum ad idem usurpavit S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. ad 3. ubi fermo est de merito congruo; nam elemosyna Cornelii non meruerunt de condigno sed de congruo adventum Petri, & tamen ex hoc merito colligunt Augustinus & S. Thomas, quod processerunt ex fide. Denique si semel admittas opus procedens ex alia cognitione, quam fidei posse esse meritum de congruo, difficile probabis, non posse in homine iusto idem opus ortum ex illa cognitione esse meritum etiam de condigno. Melius ergo, & consequentius dicitur, fidem esse principium totius meriti etiam de congruo, quia est principium omnium actuum supernaturalium, qui soli possunt habere rationem meriti condigni, vel congrui in ordine ad finem supernaturalem. Haec etiam de causa fides appellatur in Conc. Trid. sess. 6. c. 8. humanae salutis initium, fundamētum & radix omnis iustificationis, quia nimirum ante ipsam nondum est inchoatum negotium salutis, vel iustificationis, quia omnia, quae ipsam fidem praecedunt, sunt opera naturalia, quae cum fine supernaturali nullam habent proportionem. Quibus consonant Arausianum 2. c. vlt. dicens. *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos incipimus, sed ipse nullis nostris precedentibus meritis prius fidem inspirat.* Et Patres Concilii Milevitani in ep. ad Innocentium, quae apud Augustinum est 95. dicunt gratiam praevientem ad omnem affectum supernaturalem necessariam pertinere ad fidem, & esse*

Card. de Lugo de Virtute Fidei divina.

Christianorum propriam.

P. Vasq. respondet, ideo fidem appellari initium, non quia semper sit primum meritum, sed quia inter ea, quae necessaria sunt ad salutem, fides est prima, cetera enim, quae aliquando praecedunt, etiam si sint merita, non sunt necessaria. Haec tamen expositio videtur valde violenta, quia non dicitur bene principium alicuius negotii, illud quod est necessarium, si tamen oritur ex alia radice, quaecumque illa sit v. g. inter ea, quae sunt necessaria ad damnationem aeternam primum est peccatum mortale, & tamen nemo negabit initium perditionis Iudae fuisse propensionem nimiam ad pecunias, & negligentiam, quam habuit in ea corrigenda, antequam perveniret ad peccatum mortale: ergo etiam est contra, licet fides sit prima inter necessaria ad salutem: si tamen fides oritur ex merito antecedenti, tunc illud meritum antecedens diceretur principium salutis: nam in hoc sensu Concilium Tridentinum sess. 6. c. 5. definit contra Pelagium & semipelagianos, iustificationis exordium in adultis sumendum esse à gratia praeviente, quibus verbis non solum significat, gratiam praevientem esse primam inter ea, quae sunt necessaria ad iustificationem, sed etiam ita esse primam ut nihil aliud praecedat, ex quo ipsa oriatur, nam totum hoc significat, qui dicit, aliquid esse initium, seu exordium alicuius negotii, alioquin non satis clare definisset contra semipelagianos, non praecedere meritum aliquod ante primam vocationem gratiae: nam semipelagiani fatebantur, vocationem gratiae esse primam inter ea, quae sunt necessaria ad iustificationem, atque ideo ab ipsa sumi exordium necessarium, posse tamen aliquando praecedere aliud exordium non necessarium. Haec autem evasio reuera non habet locum contra verba Concilii, dum univ ersaliter dicit, vocationem gratiae esse exordium iustificationis, quia eo ipso excluditur omne aliud exordium, siue necessarium, siue non necessarium; ergo similiter, dum fides dicitur simpliciter initium salutis, eo ipso excluditur omne aliud initium etiam non necessarium. Adde, Patres univ ersaliter negare, esse aliquod meritum, quod non oriatur ex fide ut constat ex locis supra adductis.

Eodem modo reiicitur interpretatio P. Coninch. dicentis, fidem esse initium inter actus supernaturales pertinentes ad nostram salutem; posse tamen praecedere aliud initium naturale, nempe actus bonos naturales elicitos ex gratia per Christum. Hic tamen etiam est improprius modus loquendi: non enim est simpliciter initium salutis illud, quod inter actus supernaturales est primum; alioquin possemus etiam dicere, initium totius salutis esse primam gratiam habitualement, quia inter gratias formaliter sanctificantes illa est prima; sicut inter dona supernaturalia fides est prima: neutrum ergo poterit dici simpliciter primum initium salutis, si praecedit aliud meritum prius. Ratio denique congruentiae, cur Deus voluerit fidem esse initium nostrae salutis, seu (quod idem est) quare noluerit, eos actus bonos, qui aliquando praecedunt in infideli, esse supernaturales, delumipote ex Paulo primae ad Corint. primo, in illis verbis: *nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes.* Quasi diceret, quia novit Deus, quam sint imbecilles rationes omnes, quae ex naturae lumine nobis occurrunt, ut nos ad divinum obsequium efficaciter

A a moueant

17

18

Reiicitur interpretatio Patris Coninch.

moveant; voluit, totum negotium nostræ salutis reducere in scholam fidei, cuius rationem reddit in vltimis verbis illius capitis, *ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino gloriatur*, seu ut prius dixerat, *ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius*, ne scilicet nostræ ratiocinationi, & speculationi attribuamus nostræ salutis initium, si meritum nostrum inueneretur in cognitione aliunde, quàm ex Dei reuelatione habita.

19
Non satisfaci-
t responso
Ripaldæ.

Vnde non satisfaciit responso Ripaldæ dicentis, requiri fidem ad omne meritum congruum, vel condignum salutis æternæ non tamen fidem strictam, quæ fundetur in reuelatione Dei, sed latam, nempe notitiam supernaturalem comparatam per discursum, vel ratiocinationes ex creaturis, vel qua virtutis honestas in se ipsa quomodocumque cognoscatur. Hoc, inquam, non satisfaciit: quia Patres, quando fidem dicunt, esse principium bonorum operum, & meritum congruum, loquuntur planè de fide, quæ fundetur in doctrina, & reuelatione Dei, prout opponitur notitiæ, quæ aliunde haberi potest ex motiuis, & rationibus humanis. Vnde supponunt, posse contingere, quod aliquando proponantur nobis argumenta & motiua humana bona, propter quæ tamen si operemur, non mereamur salutem æternam, quia opus illud tunc ex fidei fonte non procedit. Ita enim loquitur S. Leo Papa supra adductus sermone 6. in quadagesimam illis verbis: *de hoc tamen calice non frustra admonet Dominus, ut in nomine ipsius prabeatur: quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa*. Hæc autem admonitio superflua esset, si quoties homo etiam infidelis ex motiui misericordiæ calicem aquæ præbet, id faceret per actum supernaturalem & ex notitia supernaturali, quæ verè sit actus fidei: cuius tamen contrarium supponit S. Leo, dum statim addit: *quæ ab infidelibus ministrantur; etiamsi sumptu sint magna, omni tamen iustificatione sunt vacua*. Et rationem reddit sermone 7. *quia quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non peruenit*. alia enim conditio est operum celestium, alia terrenorum. Vbi aduerte, hanc differentiam, quam Patres inculcant; non consistere solum in eo, quod vnus actus sit naturalis, & alter supernaturalis, sed debere se tenere aliquo modo ex parte motiui salutem intellectualis; nam sanctus Leo notat differentiam illam, ut moncat nos, ne inutiliter opera bona faciamus, sed curemus, quod sint ex fidei motiui, ut profint ad salutem: quod quidem curare, & præcauere nos possumus. Curare autem, quod sint actus supernaturales, non pertinet immediate ad nostram diligentiam, si, ut aduersarij volunt, Deus semper dat cognitionem supernaturalem cuiuscumque motiui honesti, quæ cognitio sit fides, & ex qua oriatur voluntas supernaturalis, & meritoria: quare sufficeret admonere, ut in nostris operibus habeamus bonam intentionem, & finem honestum.

20 Ad hoc etiam ponderari possunt verba Augustini lib. de spiritu, & littera, cap. 27. qui licet in infidelibus vix vnquam voluerit bona opera agnoscere, aliquando tamen ea, licet exigua, & rara concedit: inutiles tamen ad salutem de quibus sic ait: *de eis quedam facta legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundum iustitiæ regulas, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectè laudamus: quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ decantem laudem defensionemque mereantur*. Verum-

tamen, quia non vsque adeo in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanerint; unde merito dici possit etiam in ipsa impetrate vitæ facere aliqua leges, vel sapere, &c. Ac denique concludit: sicut non impediunt à vitæ æternæ infusum quadam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Et ep. 5. ad Marcellinum de antiquis Romanis ait, quamuis caruerint vera pietate, quæ eos ad vitam æternam posset salubri religione perducere; collodisse tamen quandam sui generis probitatem, quæ possit terrenæ ciuitati sufficere, id est ad finem moralem. Vbi notandum est, Augustinum loqui de opere etiam bono externo, & non solum de voluntate naturali interna: vnde supponit, non debuisse semper interuenire voluntatem supernaturalem ortam ex fide: alioquin nullum bonum opus potuisset Augustinus legere, vel audire de Romanis aut Ethnicis, quod non fuisset velle ad salutem de congruo, si quidem omne opus bonum ortum fuisset ex fide supernaturali. Supponit ergo Augustinus, eiusmodi opera bona externe non profuisse ad salutem, quia non procedebant ex fide, sed ex ductu nature.

Clarius hoc explicat idem Augustinus g. 2. ad Simplicianum, ubi declarat, quid intelligat nomine fidei, ex qua debent opera procedere, ut per se sint meritoria; & dicit, fidem esse debere illam, qua creditur Deo, & hanc debere esse initium totius meriti. Non quis se arbitretur inquit, id præcepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem percipere gratiam: incipit autem homo percipere gratiam, ex qua incipit Deo credere, vel interna, vel externa adnotatione motus ad fidem. Ille autem, qui ex principis solum Philosophicis agnoscit mendaciam, aut futurum esse turpe, nihil prorsus credit Deo, cum de Deo, aut eius testimonio non cogitet, ergo apud Augustinum, & Patres, voluntas illa non furandi non procedit ex fide, sed nature ductu quem fidei opponunt: ita enim loquitur Chrysostomus hom. 67. ad populum, ubi ait, nullum esse adeo malum, qui non interdum aliquid boni nature ductu operetur, cuius in hac vita aliquid premium à Deo non recipiat. Et Hieronymus in cap. 1. ad Galat. expressè dicit, homines carentes fide operari interdum aliquid sanctè, id est, honestè, & sine peccati macula. Et postea in caput quintum dicit sine fide posse esse bona opera, sicut fides potest esse sine charitate. S. Prosper lib. contra Collatorem, cap. 26. dicit, etiam post peccatum manere in homine rationem, per quam possit aliqua opera facere, quæ præsentem vitam honestate possunt, æternam autem vitam conferre non possunt. Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia, cap. 26. dicit, posse esse in infidelibus aut peccatoribus aliqua bona opera, quæ quia, vel ex charitate non fiunt, vel etiam neque ex fide, ad salutem non profunt. Qui omnes aperte supponunt, reperiri de facto opera bona, & honesta, & laudabilia externa, quæ ex cognitione fidei non procedant, atque ideo non interuenire veram fidem actualem, quoties homini proponitur aliquid bonum morale operandum, prout illa sententia volebat.

Confirmari potest primo, quia si fides nomine intelligeretur notitia illa ex ratione philosophica vel

vel aliunde ptoueniens circa honestatem virtutis, vel turpitudinem vitij, frustra & inutiliter quaeretur an possit ante fidem dari opus bonum in infidelibus, hoc enim esset quaerere, an sine cognitione boni, & honesti possit aliquis habere voluntatem honestam, quod est omnino impossibile. Si ergo quoties homo cognoscit honestum, habet actum fidei supernaturalis, non potest quaeri, an sine fide detur opus honestum; non ergo intelligunt Patres, & Doctores nomine fidei, nisi actum illum, quo credimus propter reuelationem Dei quando dicunt, omne opus meritorium debere procedere ex fide. Confirmatur secundo, quia fides de qua Patres & Concilia loquuntur, debet esse libera, & voluntaria, ut supra ex eorum verbis vidimus: illa autem cognitio etiam supernaturalis ex argumentis Philosophicis habita non est libera, sed necessaria, & evidens; ergo illa non est fides, de qua dicunt esse principium & fontem totius meriti, & operis vrilis ad salutem. Restat nunc soluere argumenta, quae contra hanc communem doctrinam opponi possunt.

SECTIO III.

Argumenta contra fidei necessitatem proponuntur, & dissoluntur.

²³ *Solutio*
argumenti
quibus probatur
posse dari meritum
ante fidem
alioquin
omne meritum
esset necessarium
ante fidem
Obiectio 1.

Primo loco afferemus argumenta, quibus probatur posse dari meritum aliquod ad salutem remorum, vel proximum ante fidem; postea vero proponemus ea argumenta, quibus probatur, sufficere fides illa lata, nempe cognitio supernaturalis non fundata in testimonio, & reuelatione Dei. Primo ergo contra necessitatem fidei ad omne meritum opponi solet, quia ante assensum fidei praecedit voluntas credendi, quae quidem est meritoria, imo ipsa est ratio, cur actus fidei sit meritorius, nam tota libertas fidei praecedit in illa voluntate credendi, ac per consequens tota ratio meriti: iam ergo datur aliquod meritum, quod non procedat ex fide; sed praecedat fidem, Respondetur facile, apud Patres voluntatem credendi cum ipsamet fide computari; fides enim completè sumpta includit assensum intellectus, & imperium voluntatis, sine quo fides non esset meritoria, atque adeo cum dicitur, omnia bona merita procedere ex fide, intelligitur semper excepta ipsa fides, & voluntas credendi, quae non potest procedere à se ipsa.

²⁴ *Obiectio 2.*

Sed contra obijci potest secundo de eo, qui antequam conuertatur ad fidem, orat Deum, & petit ab eo lumen, & donum fidei: quae quidem oratio non videtur inutilis; alioquin frustra eiusmodi hominibus consulere, quod orarent. Et tamen illa oratio non procedit ex fide, ergo aliqui actus, qui non procedunt ex fide possunt esse meritorij saltem de congruo in ordine ad salutem. Respondetur potest eodem ferè modo, nimirum, orationem, qua aliquis serui, & ardentem petit fidem cum vero desiderio credendi Deo super omnia, iam pertinere aliquo modo ad ipsam fidem, & in ratione doni computari cum dono fidei. Hoc enitè modo loquitur Gregorius Magnus homil. 9. in Ezechielem colum. 2. dicens: *Opera sine fide non adiuuare, nisi fortasse profici de percipienda fiant; sicut Cornelius inquit, ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret.* Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuinae.

steret. Quia ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebant. Nam cui ab Angelo dicitur, orationes tuae & elemosinae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & mox pro eadem ascensione praecipitur, ut ad Simonem mittat qui & veniens predicare debeat; constat, quia hoc petiit, unde meruit exaudiri. Hac Gregorius, cuius sententia circa fidem Cornelij, licet fortasse verior non sit; id tamen quod supponit, verum est, scilicet opera facta ante fidem non prodesse nisi quando sunt pro impetranda fide, nam tunc iam videntur pertinere ad ipsam fidem, & integrare, seu inchoare donum fidei. Ratio autem esse potest quia iam tunc oriuntur aliquo modo ex ipso lumine fidei, si enim nullo modo illuminaret ipsa fides, nunquam homo verè desideraret credere Deo super omnia, nec adeo serui, & ex animo quaereret doctrinam diuinam. Non ergo mirum, quod Deus concurrat iam tunc auxilio supernaturali ad illam voluntatem, quae non procedit merè ex lumine rationis naturalis, sed ex lumine fidei subobscuro, & quasi ab aurora fidei, & eius crepusculo, ut quaerat idè lumen clarius, & oret pro illo obtinendo. Quae ratio à fortiori locum habet in voluntate ipsa credendi, quae licet non procedat ex assensu fidei, nec ex reuelatione iam creditae, oriuntur tamen ex reuelatione Dei sufficienter proposita; quare non mirum, quod ea voluntas non sit naturalis, quia iam secundum affectum extrahit hominē à schola naturae, constituens illum in schola diuina, in qua ipse Deus vult esse magister, & formare caracteres aureos, & supernaturales, quibus eius doctrina scribatur in nostra mente. Quae doctrina videtur esse S. Thomae infra quæst. 83. art. 16. in corpore, quatenus in vniuersum docet, quod Deus exaudit orationem peccatoris ex bono naturae desiderio procedentem, quae pie & perseveranter petit necessaria ad propriam salutem. Per illa autem verba, ex bono naturae desiderio procedentem, non intelligit, quod procedat ex solis viribus naturae, subiungit enim debere esse orationem pie factam, & quidam ad omne opus pium requiritur gratia, & eius auxilium: sed intelligit, quod non procedat à peccatore, ut peccator est. Distinguit enim ibi S. Thomas in peccatore duo, nempe naturam, quam diligit Deus, & culpam, quam odit; & dicit, orationem, quae procedit à peccatore formaliter in quantum peccator est, non exaudiri à Deo; illam verò, quae procedit à natura peccatoris bona exaudiri, non tamen dicit procedere à natura non adiuta viribus gratiae. Eandem doctrinam magis expresse explicuit Granado in 1. 2. controuers. 8. de gratia tract. 6. disp. 1. sect. 5. num. 39. ubi dicit, quoties homo infidelis orat pro obtinendo lumine fidei etiam in confuso cognita, praecedere illustrationes supernaturales, ut dixerat n. 37. & orationem illam exaudiri à Deo.

²⁵ *Obiectio 3.*
Referuntur
quidam ex-
empla eorum,
qui absque
vera fide
operibus im-
petrarunt de
congruo suum
salutem, vel
donum fidei
etc.

Tertio obijci possunt exempla aliqua eorum, qui absque vera fide suis operibus impetrarunt de congruo suam salutem, vel donum fidei, vel aliquid aliud ad salutem pertinsens. Alioquin enim frustra Daniel cap. 4. consuluisse Nabuchodonosori Regi infideli, ut elemosynis peccata sua redimeret, & impendentem Dei iram auerteret, si illa elemosynae ante fidem factae nihil possent mereri, vel impetrare. Legimus etiam in Martyrologio Romano die 30. Iunii de S. Basilide, qui cum adhuc esset infidelis, & B. Potamianam Virginem, quam ad martyrium cum aliis satellitibus